Quelle: https://manuscripta.at/?ID=25986
Copyright: Admont, Benediktinerstift



peccā anob recedat. tē indicendū
ē ieunū. & sūm dus ē luctus
donec eū adnos reuocem. ieā gā
sub leuari meam. Discipli aūt
uobis reprehendi erāt q se socia
uerāt scīs. q aduocē magistri
n fecerāt fructū dugū penitentie.
q n sē dnm secuti admonuū
eā de uobis. sic andreas. alt cuī

Nom̄ tacet xl. VIIII.

Nemo aūt mittit cōmissurā
panni rudis ī uestimētū uetus.
Quare non manifestat. tollit enī
plenitudinē eā uestimēto. & peior
scissura fit. Interrogatus dns a disci
plis uobis. quare discipli eā n ie
iunarent. resp̄ndit. Nūquid possunt filii
nuptiarū. dum cum eis est sponsus
lugere. Venient aūt dies. cum auferetur
ab eis sponsus. tunc ieunabunt in illis
diebus. Dixit & parabolā ad eos. dicens
Quia homo quidā fecit cenā magnā
& uocauit multos. & misit seruum
suum hora cenē dicere inuitatis. ut
uenirent. quia parata erant oīa. Et
cōperunt simul oēs excusare. Primus
dixit ei. Villā emi. & habeo necesse
ut exeam & uideam illā. rogo te habe
me excusatum. Et alius dixit. Juga
boū emi quinq. & eo probare eos.
rogo te habe me excusatum. Et alius
dixit. Uxorem duxi. & ideo non possum
uenire. Et reuersus seruus nūciauit
hec dño suo. Tunc iratus pater familias
dixit seruo suo. Exi cito in plateas &
uicos ciuitatis. & pauperes & debiles
& cecos & claudos introduc huc. Et
dixit seruus. Dne factum est ut im
perasti. & adhuc locus est. Et dixit
dns ad seruum. Exi in uias & sepes
& compelle intrare. ut impleatur
domus mea. Dico enī uobis. quia
nemo uirorum illorum qui uocati
sunt gustabit cenā meam. Multi
autem cum eo ibant turbe. & conuer
sus dixit ad illos. Si quis uenit ad me
& non odit patrem suum & matrem
& uxorem & filios & fratres & sorores
adhuc autem & animam suam. non
potest meus esse discipulus. Et qui non
baiulat crucem suam & uenit post me
non potest meus esse discipulus. Quis
enī ex uobis uolens turrim edificare
non prius sedens computat sumptus
qui necessarii sunt. si habeat ad per
ficiendum. ne forte posteaquam posuerit
fundamentum & non potuerit perficere
omnes qui uident incipiant illudere
ei. dicentes. Quia hic homo cepit edi
ficare & non potuit perficere. Aut
quis rex iturus committere bellum
aduersus alterum regem. non sedens
prius cogitat si possit cum decem
milibus occurrere ei. qui cum uiginti
milibus uenit contra se. Alioquin
adhuc illo longe agente legationem
mittit rogans ea quę pacis sunt. Sic
ergo omnis ex uobis qui non renun
tiat omnibus quę possidet non potest
meus esse discipulus. Bonum sal.
Si aūt sal euanuerit. in quo condie
tur. Neque in terram neque in sterco
rum utile est. sed foras mittetur.
Qui habet aures audiendi audiat.
Erant autem appropinquantes ei
omnes publicani & peccatores. ut
audirent illum. Et murmurabant
pharisei & scribe dicentes. Quia hic
peccatores recipit & manducat cum
illis. Ad illos autem hanc parabolam
dixit. Quis ex uobis homo qui habet
centum oues. & si perdiderit unam
ex illis. nonne dimittit nonaginta
nouem in deserto & uadit ad illam
quę perierat donec inueniat eam.
Et cum inuenerit imponit in humeros
suos gaudens. & ueniens domum
conuocat amicos & uicinos dicens
illis. Congratulamini mihi. quia
inueni ouem meam quę perierat.
Dico uobis. quod ita gaudium erit
in celo super uno peccatore penitentiam
agente. quam super nonaginta nouem
iustis qui non indigent penitentia.
Aut quę mulier habens decem dragmas
si perdiderit unam dragmam. nonne
accendit lucernam & uerrit domum
& quęrit diligenter donec inueniat.
Et cum inuenerit conuocat amicas
& uicinas dicens. Congratulamini
mihi. quia inueni dragmam quam
perdideram. Ita dico uobis. gaudium
fit coram angelis dei super uno pec
catore penitentiam agente. Dixit
autem & ad discipulos suos. Homo
quidam erat diues qui habebat uil
licum. & hic diffamatus est apud illum
quasi dissipasset bona ipsius. Et
uocauit illum & ait illi. Quid hoc
audio de te. Redde rationem uilli
cationis tuę. Jam enī non poteris
ultra uillicare. Ait autem uillicus
intra se. Quid faciam quia dominus
meus auferet uillicationem a me.
Fodere non ualeo. mendicare erubesco.
Scio quid faciam. ut cum amotus fuero
a uillicatione recipiant me in domos
suas. Conuocatis igitur singulis de
bitoribus dni sui. dicebat primo.
Quantum debes dno meo. At ille
dixit. Centum cados olei. Et dixit
illi. Accipe cautionem tuam & sede
cito scribe quinquaginta. Deinde
alii dixit. Tu aūt quantum debes.
Qui dixit. Centum coros tritici.
Ait illi. Accipe litteras tuas & scribe
octoginta. Et laudauit dns uillicum
iniquitatis. quia prudenter fecisset.
Quia filii huius seculi prudentiores
filiis lucis in generatione sua sunt.
Et ego uobis dico. facite uobis amicos
de mammona iniquitatis. ut cum
defeceritis recipiant uos in eterna
tabernacula. Qui fidelis est in minimo
& in multo fidelis est. Et qui in modico
iniquus est & in multo iniquus est.
Si ergo in iniquo mammona fideles
non fuistis. quod uerum est quis
credet uobis. Et si in alieno fideles
non fuistis. quis dabit uobis. Nemo
potest duobus dominis seruire. aut
enī unum odio habebit & alterum
diliget. aut unum sustinebit & alterum
contemnet. Non potestis deo seruire
& mammonę. Audiebant autem
hec omnia pharisei qui erant auari
& deridebant illum. Et dixit eis.
Uos estis qui iustificatis uos coram
hominibus. deus aūt nouit corda
uestra. quia quod hominibus altum
est abhominatio est coram deo.
Lex & prophete usque ad iohannem.
Ex tunc regnum dei euangelizatur
& omnis in illud uim facit. Facilius
est aūt celum & terram transire
quam de lege unum apicem cadere.
Omnis qui dimittit uxorem suam
& ducit alteram mechatur. & qui
dimissam a uiro ducit mechatur.
Homo quidam erat diues & induebatur
purpura & bysso. & epulabatur
quotidie splendide. Et erat quidam
mendicus nomine lazarus qui iacebat
ante ianuam eius ulceribus plenus.
Et cupiebat saturari de micis quę
cadebant de mensa diuitis. & nemo
illi dabat. sed & canes ueniebant &
lingebant ulcera eius. Factum est
aūt ut moreretur mendicus & ferre
tur ab angelis in sinum abrahe.
Mortuus est aūt & diues & sepultus
est in inferno. Eleuans aūt oculos
suos cum esset in tormentis uidit
abraham a longe & lazarum in sinu
eius. Et ipse clamans dixit. Pater
abraham miserere mei & mitte lazarum
ut intinguat extremum digiti sui in
aquam & refrigeret linguam meam.
quia crucior in hac flamma. Et dixit
abraham. Fili recordare quia recepisti
bona in uita tua & lazarus similiter
mala. nunc aūt hic consolatur tu
aūt cruciaris. Et in his omnibus inter
nos & uos chaos magnum firmatum
est. ut hi qui uolunt hinc transire
ad uos non possint neque inde huc
transmeare. Et ait. Rogo ergo te
pater ut mittas eum in domum patris
mei. habeo enī quinque fratres. ut
testetur illis. ne & ipsi ueniant in
hunc locum tormentorum. Dicit ei
abraham. habent moysen & prophetas
audiant illos. Qui dixit. Non pater
abraham. sed si quis ex mortuis ierit
ad eos penitentiam agent. Dixit aūt
ei. Si moysen & prophetas non audiunt
neque si quis ex mortuis resurrexerit
credent. Dixit aūt discipulis suis.
Impossibile est ut non ueniant scandala
uę aūt illi per quem ueniunt. Bonum
est ei si lapis molaris imponatur circa
collum eius & proiciatur in mare
quam ut scandalizet unum de pusillis
istis. Attendite uobis. Si peccauerit
in te frater tuus corripe illum. & si
penitentiam egerit dimitte illi. Et si
septies in die peccauerit in te & septies
conuersus fuerit ad te dicens. Penitet
me. dimitte illi. Et dixerunt apostoli
domino. Adauge nobis fidem. Dixit
aūt dns. Si habueritis fidem sicut
granum sinapis dicetis huic arbori
morę. Eradicare & transplantare
in mare. & obediret uobis. Quis aūt
ex uobis habens seruum arantem aut
pascentem. qui regresso de agro dicat
illi. Statim transi recumbe. Et non
potius dicat ei. Para quod cenem &
accinctus ministra mihi. dum manducem
& bibam. & post hec manducabis &
bibes tu. Numquid gratiam habet
seruo illi quia fecit ea quę imperauerat
ei. Non reor. Sic & uos cum feceritis
omnia quę imperata sunt uobis dicite.
Serui inutiles sumus. quod debuimus
facere fecimus. Et factum est dum
iret in hierusalem. ut transiret per
medium samarię & galilee. Et cum
ingrederetur quoddam castellum
occurrerunt ei decem uiri leprosi.
qui steterunt a longe. Et ipsi eleuauerunt
uocem dicentes. Jesu preceptor mise
rere nostri. Quos ut uidit dixit. Ite
ostendite uos sacerdotibus. Et factum
est dum irent mundati sunt. Unus
aūt ex illis ut uidit quia mundatus
est regressus est cum uoce magna
glorificans deum. Et cecidit in faciem
ante pedes eius gratias agens. Et hic
erat samaritanus. Respondens aūt
iesus dixit. Nonne decem mundati
sunt. Et nouem ubi sunt. Non inuenti
sunt qui redirent & darent gloriam
deo nisi hic alienigena. Et dixit illi.
Surge uade quia fides tua te saluum
fecit. Interrogatus aūt a pharisęis
quando ueniret regnum dei. respondit
eis & dixit. Non ueniet regnum dei
cum obseruatione. Neque dicent.
Ecce hic aut ecce illic. Ecce enī regnum
dei intra uos est. Et ait ad discipulos.
Uenient dies quando desiderabitis
unum diem filii hominis uidere &
non uidebitis. Et dicent uobis. Ecce
hic & ecce illic. Nolite ire neque
sectemini. Nam sicut fulgur coruscans
de sub celo in ea quę sub celo sunt
fulget. ita erit filius hominis in die
sua. Primum aūt oportet illum multa
pati & reprobari a generatione hac.
Et sicut factum est in diebus noe.
ita erit & in diebus filii hominis.
Edebant & bibebant. uxores ducebant
& dabantur ad nuptias. usque in
diem qua intrauit noe in arcam. &
uenit diluuium & perdidit omnes.
Similiter sicut factum est in diebus
loth. edebant & bibebant. emebant
& uendebant. plantabant & edificabant.
qua die aūt exiit loth a sodomis pluit
ignem & sulphur de celo & omnes
perdidit. Secundum hec erit qua die
filius hominis reuelabitur. In illa
hora qui fuerit in tecto & uasa eius
in domo non descendat tollere illa.
Et qui in agro similiter non reuertatur
retro. Memores estote uxoris loth.
Quicumque quęsierit animam suam
saluam facere perdet illam. & qui
perdiderit illam uiuificabit eam.
Dico uobis. nocte illa erunt duo in
lecto uno. unus assumetur & alter
relinquetur. Duę molentes in unum
erunt. una assumetur & altera relin
quetur. Duo in agro unus assumetur
& alter relinquetur. Respondentes
dicunt illi. Ubi dne. Qui dixit eis.
Ubi corpus fuerit illuc congregabuntur
& aquile. Dicebat aūt parabolam
illis ad hoc quod oportet semper
orare & non deficere. dicens. Judex
quidam erat in quadam ciuitate
deum non timens & hominem non
reuerens. Uidua aūt quędam erat
in ciuitate illa & ueniebat ad eum
dicens. Uindica me de aduersario
meo. Et nolebat per multum tempus.
Post hec aūt dixit apud se. Etsi deum
non timeo nec hominem reuereor.
tamen quia molesta est mihi uidua
hec uindicabo illam. ne in nouissimo
ueniens sugillet me. Ait aūt dns.
Audite quid iudex iniquitatis dicit.
Deus aūt non faciet uindictam electorum
suorum clamantium ad se die ac nocte
& patientiam habebit in illis. Dico
uobis quia cito faciet uindictam illorum.
Uerumtamen filius hominis ueniens
putas inueniet fidem in terra. Dixit
aūt & ad quosdam qui in se confidebant
tamquam iusti & aspernabantur ceteros
parabolam hanc. Duo homines ascen
derunt in templum ut orarent. unus
pharisęus & alter publicanus. Pharisęus
stans hec apud se orabat. Deus gratias
ago tibi quia non sum sicut ceteri
hominum raptores iniusti adulteri
sicut etiam hic publicanus. Jejunio
bis in sabbato. decimas do omnium
quę possideo. Et publicanus a longe
stans nolebat nec oculos ad celum
leuare. sed percutiebat pectus suum
dicens. Deus propitius esto mihi
peccatori. Dico uobis descendit hic
iustificatus in domum suam ab illo.
Quia omnis qui se exaltat humiliabitur
& qui se humiliat exaltabitur. Offerebant
aūt illi & infantes ut tangeret illos.
Quod cum uiderent discipuli increpa
bant illos. Jesus aūt conuocauit eos
dicens. Sinite pueros uenire ad me
& nolite prohibere eos. talium enī est
regnum dei. Amen dico uobis. quicumque
non receperit regnum dei sicut puer
non intrabit in illud. Et interrogauit
eum quidam princeps dicens. Bone
magister quid faciens uitam eternam
possidebo. Dixit aūt ei iesus. Quid me
dicis bonum. nemo bonus nisi solus
deus. Mandata nosti. Ne adulteres.
Ne occidas. Ne furtum faciens. Ne
falsum testimonium dicas. Honora
patrem tuum & matrem. Qui dixit.
Hec omnia custodiui a iuuentute mea.
Quo audito iesus dixit ei. Adhuc unum
tibi deest. Omnia quęcumque habes
uende & da pauperibus & habebis
thesaurum in celo. & ueni sequere me.
Hec audiens contristatus est. erat enī
diues ualde. Uidens aūt illum iesus
contristatum dixit. Quam difficile
qui pecunias habent in regnum dei
introibunt. Facilius enī est camelum
per foramen acus transire quam diuitem
intrare in regnum dei. Dixerunt aūt
qui audierunt. Et quis potest saluus
fieri. Qui dixit. Quę impossibilia sunt
apud homines possibilia sunt apud
deum. Ecce nos dimisimus omnia &
secuti sumus te. Dixit aūt eis. Amen
dico uobis. nemo est qui reliquerit
domum aut parentes aut fratres aut
uxorem aut filios propter regnum dei.
qui non recipiat multo plura in hoc
tempore & in futuro uita eterna.
Assumpsit aūt iesus duodecim & dixit
ad illos. Ecce ascendimus hierosolimam
& consummabuntur omnia quę scripta
sunt per prophetas de filio hominis.
Tradetur enī gentibus & illudetur &
flagellabitur & conspuetur. & postquam
flagellauerint occident eum & tertia
die resurget. Et ipsi nihil horum
intellexerunt & erat uerbum istud
absconditum ab eis. & non intellegebant
quę dicebantur. Factum est aūt cum
appropinquaret hiericho. quidam
cecus sedebat secus uiam mendicans.
Audiens aūt turbam prętereuntem
interrogabat quid hoc esset. Nuntiauerunt
aūt ei quod iesus nazarenus transiret.
Et clamauit dicens. Jesu fili dauid
miserere mei. Et qui prędicebant
increpabant eum ut taceret. Ipse aūt
multo magis clamabat. Fili dauid
miserere mei. Stans aūt iesus iussit
illum adduci ad se. Et cum appropin
quasset interrogauit illum dicens.
Quid tibi uis faciam. Qui dixit. Dne
ut uideam. Et iesus dixit illi. Respice.
fides tua te saluum fecit. Et confestim
uidit & sequebatur illum magnificans
deum. Et omnis plebs ut uidit dedit
laudem deo. Et intrans perambulabat
iericho. Et ecce uir nomine zacheus
& hic erat princeps publicanorum &
ipse diues. Et quęrebat uidere iesum
quis esset. & non poterat a turba quia
statura pusillus erat. Et ascendit
arborem sycomorum ut uideret illum.
Et cum peruenisset ad locum suspiciens
iesus uidit illum & dixit ad illum.
Zache festinans descende. quia hodie
in domo tua oportet me manere. Et
festinauit & descendit & excepit illum
gaudens. Et cum uiderent omnes
murmurabant dicentes. Quia apud
hominem peccatorem intrauit hospitari.
Stans aūt zacheus dixit ad dominum.
Ecce dimidium bonorum meorum dne
do pauperibus. & si quid aliquem
defraudauerim reddo quadruplum.
Ait iesus ad eum. Quia hodie saluti
huic domui facta est. eo quod & ipse
filius sit abrahe. Uenit enī filius
hominis quęrere & saluum facere
quod perierat. Hec illis audientibus
adiciens dixit parabolam. eo quod
esset prope hierusalem & illi existi
marent quia confestim regnum dei
manifestaretur. Dixit ergo. Homo
quidam nobilis abiit in regionem
longinquam accipere sibi regnum &
reuerti. Uocatis aūt decem seruis suis
dedit eis decem mnas & ait ad illos.
Negotiamini dum uenio. Ciues aūt
eius oderant eum & miserunt legationem
post illum dicentes. Nolumus hunc
regnare super nos. Et factum est ut
reuerteretur accepto regno & iussit
uocari seruos quibus dederat pecuniam
ut sciret quantum quisque negotiatus
esset. Uenit aūt primus dicens. Dne
mna tua decem mnas acquisiuit. Et
ait illi. Euge bone serue quia in modico
fuisti fidelis. eris potestatem habens
super decem ciuitates. Et alius uenit
dicens. Dne mna tua fecit quinque
mnas. Et huic ait. Et tu esto super
quinque ciuitates. Et alius uenit dicens.
Dne ecce mna tua quam habui repositam
habui apud me in sudario. Timui enī
te quia homo austerus es. tollis quod
non posuisti & metis quod non seminasti.
Ait illi. De ore tuo te iudico serue
nequam. Sciebas me hominem austerum
esse tollentem quod non posui & metentem
quod non seminaui. Et quare non dedisti
pecuniam meam ad mensam. ut ego
uenions cum usuris utique exegissem
illam. Et astantibus dixit. Auferte
ab illo mnam & date illi qui habet
decem mnas. Et dixerunt illi. Dne
habet decem mnas. Dico autem uobis
quia omni habenti dabitur & abundabit.
ei aūt qui non habet & quod habet
auferetur ab eo. Uerumtamen inimicos
meos illos qui noluerunt me regnare
super se adducite huc & interficite
ante me. Et cum hec dixisset ibat
ante illos ascendens hierosolimam.
Et factum est cum appropinquasset
bethphage & bethania ad montem
qui uocatur oliueti. misit duos de
discipulis suis dicens. Ite in castellum
quod contra uos est. in quo intrantes
inuenietis pullum asinę alligatum
cui nemo umquam hominum sedit.
Solite illum & adducite. Et si quis
uos interrogauerit. Quare soluitis.
sic dicetis ei. Quia dominus eius
necessarium habet. Abierunt aūt
qui missi fuerant & inuenerunt sicut
dixerat illis. Solutis aūt pullis dixerunt
domini eius ad illos. Quid soluitis
pullum. Qui dixerunt. Quia dominus
eius necessarium habet. Et duxerunt
illum ad iesum. Et iactantes uestimenta
sua in pullum imposuerunt iesum.
Ascendens aūt illo subtus eius sternebant
uestimenta sua in uia. Et cum appropin
quaret iam ad descensum montis oliueti
cepit omnis turba discipulorum gaudens
laudare deum uoce magna. Et uidentes
omnes uirtutes quas uiderant dicentes.
Benedictus qui uenit rex in nomine
domini. pax in celo & gloria in excelsis.
Et quidam pharisęorum de turba dixerunt
ad illum. Magister increpa discipulos
tuos. Et respondens ait illis. Dico
uobis. si hi tacuerint lapides clamabunt.
Et ut appropinquauit uidens ciuitatem
flebat super illam dicens. Quia si
cognouisses & tu quidem in hac die
tua quę ad pacem tibi. nunc aūt abscon
dita sunt ab oculis tuis. Quia ueniet
dies in te & circumdabunt te inimici
tui ualo & circumdabunt te & coangus
tabunt te undique. & ad terram prosternent
te & filios tuos qui in te sunt. & non
relinquent in te lapidem super lapidem.
eo quod non cognoueris tempus uisitationis
tuę. Et ingressus templum cepit eicere
uendentes in illo & ementes dicens
illis. Scriptum est. Quia domus mea
domus orationis est. Uos aūt fecistis
illam speluncam latronum. Et erat
docens quotidie in templo. Principes
aūt sacerdotum & scribe & principes
populi quęrebant illum perdere. & non
inuenerunt quid facerent ei. Omnis
enī populus suspendebatur audiens
illum. Et factum est in una dierum
docente eo populum in templo & euan
gelizante conuenerunt principes sacer
dotum & scribe cum senioribus & dixerunt
ad illum. Dic nobis in qua potestate
hec facis aut quis est qui dedit tibi
hanc potestatem. Respondens aūt dixit
ad illos. Interrogabo & ego uos unum
sermonem. & dicite mihi. Baptismum
iohannis de celo fuit an ex hominibus.
At illi cogitabant apud se dicentes.
Quia si dixerimus de celo dicet. Quare
non credidistis illi. Si aūt dixerimus
ex hominibus plebs uniuersa lapidabit
nos. certi enī sunt iohannem prophetam
esse. Et responderunt se nescire unde
esset. Et iesus ait illis. Neque ego
dico uobis in qua potestate hec facio.
Cepit aūt ad plebem dicere parabolam
hanc. Homo quidam plantauit uineam
& locauit eam agricolis & peregre
profectus est. Et cum tempus uindemię
adpropinquasset misit ad agricolas
seruum ut de fructu uineę darent ei.
Quem cum cęsum dimisissent inanem
addidit alium mittere seruum. Qui
illum cędentes & contumelias inferentes
dimiserunt inanem. Et tertium addidit
mittere. Qui & illum uulnerantes
eiecerunt. Dixit aūt dominus uineę.
Quid faciam. Mittam filium meum
dilectum. forsitan cum hunc uiderint
uerebuntur. Quem cum uidissent agricolę
cogitabant inter se dicentes. Hic est
heres. Occidamus eum ut nostra fiat
hereditas. Et eiecerunt illum extra
uineam & occiderunt. Quid ergo faciet
illis dominus uineę. Ueniet & perdet
colonos illos & dabit uineam aliis.
Quod audientes dixerunt illi. Absit.
Qui aūt respiciens eos ait. Quid ergo
est hoc quod scriptum est. Lapidem
quem reprobauerunt edificantes hic
factus est in caput anguli. Omnis qui
cecidit super lapidem illum conquassabitur.
super quem aūt ceciderit conteret eum.
Et quęrentes principes sacerdotum &
scribe mittere manus in illum eadem
hora timuerunt populum. cognouerunt
enī quia ad ipsos parabolam hanc dixerit.
Et obseruantes misit insidiatores qui
se iustos simularent ut caperent eum
in uerbo. ut traderent illum principatui
& potestati presidis. Et interrogauerunt
eum dicentes. Magister scimus quia
recte dicis & doces & non accipis
personam sed in ueritate uiam dei
docens. Licet nobis tributum dare
cesari an non. Considerans aūt dolum
illorum dixit ad eos. Quid me tentatis.
Ostendite mihi denarium. Cuius habet
imaginem & inscriptionem. Respondentes
dixerunt. Cesaris. Et ait ad illos.
Reddite ergo quę sunt cesaris cesari
& quę sunt dei deo. Et non potuerunt
uerbum eius reprehendere coram plebe
& mirati in responso eius tacuerunt.
Accesserunt aūt quidam sadducęorum
qui negant resurrectionem dicere non
esse. Et interrogauerunt eum dicentes.
Magister moyses scripsit nobis. Si
cuius frater mortuus fuerit habens
uxorem & hic sine liberis fuerit. ut
accipiat frater eius uxorem illius &
suscitet semen fratri suo. Septem ergo
fratres erant. & primus accepit uxorem
& mortuus est sine liberis. Et secundus
& tertius accepit illam. similiter autem
& omnes septem non reliquerunt semen
& mortui sunt. Nouissima omnium &
mortua est & mulier. In resurrectione
ergo cuius de illis erit uxor. Omnes
enī habuerunt illam uxorem. Et ait
illis iesus. Filii huius seculi nubunt
& traduntur ad nuptias. Qui aūt digni
habebuntur seculo illo & resurrectione
ex mortuis neque nubent neque uxores
ducent. Neque enī mori ultra poterunt.
Equales enī angelis sunt & filii sunt
dei. cum sint filii resurrectionis. Quod
aūt mortui resurgant & moyses ostendit
secus rubum. sicut dicit dominum deum
abraham & deum isaac & deum iacob.
Deus aūt non est mortuorum sed uiuorum.
Omnes enī uiuunt ei. Respondentes aūt
quidam scribarum dixerunt. Magister
bene dixisti. Et amplius non audebant
eum interrogare quicquam. Dixit aūt
ad illos. Quomodo dicunt christum
filium esse dauid. Et ipse dauid dicit
in libro psalmorum. Dixit dominus
domino meo. sede a dextris meis. donec
ponam inimicos tuos scabellum pedum
tuorum. Dauid ergo dominum eum
uocat. & unde filius eius est. Audiente
aūt omni populo dixit discipulis suis.
Attendite a scribis qui uolunt ambulare
in stolis & amant salutationes in foro
& primas cathedras in synagogis &
primos discubitus in cenis. qui deuorant
domos uiduarum. simulantes longam
orationem. Hi accipient prolixius
iudicium. Uidit aūt iesus mittentes
munera sua in gazophylacium diuites.
Uidit aūt & quandam uiduam pauperculam
mittentem minuta duo. & ait. Uere
dico uobis. quia uidua hec pauper plus
quam omnes misit. Omnes enī hi ex
abundanti sibi munera miserunt in
sepulchra dei. hec aūt de penuria sua
omnem uictum quem habuit misit.
Quidam aūt dicebant de templo quod
lapidibus bonis & donis ornatum esset.
Dixit aūt. Uenient dies in quibus non
relinquetur lapis super lapidem qui
non destruatur. Interrogauerunt aūt
eum dicentes. Magister quando hec
erunt. & quod signum cum fieri incipiant.
Qui dixit. Uidete ne seducamini. Multi
enī ueniunt in nomine meo dicentes.
Quia ego sum. & tempus appropinquauit.
Nolite ergo ire post eos. Cum aūt audieritis
prelia & seditiones nolite terreri.
Oportet enī hec primum fieri sed non
statim finis. Tunc dicebat illis. Surget
enī gens contra gentem & regnum
aduersus regnum. Terre motus magni
per loca & pestilentie & fames. terroresque
de celo & signa magna erunt. Antequam
aūt hec omnia fiant iniicient in uos
manus suas & persequentur tradentes
in synagogas & custodias. trahentes
ad reges & presides propter nomen
meum. Continget aūt uobis in testimonium.
Ponite ergo in cordibus uestris non
preconsiderare quemadmodum respondeatis.
Ego enī dabo uobis os & sapientiam
cui non poterunt resistere & contradicere
omnes aduersarii uestri. Tradentur
aūt a parentibus & fratribus & cognatis
& amicis. & morte afficient ex uobis.
Et eritis odio omnibus propter nomen
meum. & capillus de capite uestro non
peribit. In patientia uestra possidebitis
animas uestras. Cum aūt uideritis
circumdari ab exercitu hierusalem
tunc scitote quia appropinquauit desolatio
eius. Tunc qui in iudea fugiant ad
montes. & qui in medio eius discedant.
& qui in regionibus non introeant in
eam. Quia dies ultionis hi sunt ut
impleantur omnia quę scripta sunt.
Ue aūt grauidis & nutrientibus in illis
diebus. Erit enī pressura magna super
terram & ira populo huic. Et cadent
in ore gladii & captiui ducentur in
omnes gentes. & hierusalem calcabitur
a gentibus donec impleantur tempora
nationum. Et erunt signa in sole &
luna & stellis. & in terris pressura
gentium. prę confusione sonitus maris
& fluctuum. Arescentibus hominibus
prę timore & expectatione quę superuenient
uniuerso orbi. Nam uirtutes celorum
mouebuntur. & tunc uidebunt filium
hominis uenientem in nube cum potestate
magna & maiestate. Hec aūt fieri
incipientibus uobis respicite & leuate
capita uestra. quoniam appropinquat
redemptio uestra. Et dixit illis similitudinem.
Uidete ficulneam & omnes arbores.
Cum producunt iam fructum scientes
quod prope sit estas. Ita & uos cum
uideritis hec fieri scitote quia prope
est regnum dei. Amen dico uobis. quia
non transibit generatio hec donec omnia
fiant. Celum & terra transibunt. uerba
aūt mea non transibunt. Attendite
aūt uobis ne forte grauentur corda
uestra in crapula & ebrietate & curis
huius uitę. & superueniat in uos subito
dies illa. Tamquam laqueus enī superueniet
in omnes qui sedent super faciem
omnis terre. Uigilate aūt omni tempore
orantes ut dignemini fugere ista omnia
quę futura sunt & stare ante filium
hominis. Erat aūt docens in templo.
exiens aūt hebat in montem qui uocatur
oliueti. Et omnis populus mane uenit
ad eum in templum audire eum. Erat
aūt dies festus azimorum. & quęrebant
principes sacerdotum & scribe quomodo
eum interficerent. timebant enī populum.
Intrauit aūt sathanas in iudam qui
cognominatur scarioth. unum de numero
duodecim. Et abiit & locutus est cum
principibus sacerdotum & magistratibus
quemadmodum illum traderet eis.
Et confisi sunt & pepigerunt pecuniam
illi dare. Et spopondit. & quęrebat
opportunitatem ut traderet illum sine
turba eis. Uenit aūt dies azimorum
in qua necesse erat occidi pascha.
Et misit petrum & iohannem dicens.
Euntes parate nobis pascha ut manducemus.
Qui dixerunt ei. Ubi uis paremus.
Et ait illis. Ecce introeuntibus uobis
in ciuitatem occurret uobis homo
amphoram aquę baiulans. sequimini
eum in domum in qua introit. & dicetis
patri familias domus. Dicit tibi magister.
Ubi est refectio ubi pascha cum discipulis
meis manducem. Et ipse uobis demonstrabit
cenaculum grande stratum. & ibi parate.
Euntes aūt inuenerunt sicut dixerat
illis. & parauerunt pascha. Et cum
facta esset hora discubuit & duodecim
apostoli cum eo. Et ait illis. Desiderio
desideraui hoc pascha manducare uobiscum
antequam patiar. Dico enī uobis. quia
ex hoc non manducabo illud donec impleatur
in regno dei. Et suscepto calice gratias
egit & dixit. Accipite & diuidite inter
uos. Dico enī uobis. quia non bibam
de generatione uitis donec regnum dei
ueniat. Et accepto pane gratias egit
& fregit & dedit eis dicens. Hoc est
corpus meum quod pro uobis datur.
Hoc facite in meam commemorationem.
Similiter & calicem postquam cenauit
dicens. Hic calix nouum testamentum
in meo sanguine. qui pro uobis effundetur.
Uerumtamen ecce manus tradentis me
mecum est in mensa. Et filius quidem
hominis secundum quod diffinitum est
uadit. Ue aūt homini illi per quem
tradetur. Et ipsi ceperunt quęrere
inter se quis esset ex eis qui hoc facturus
esset. Facta est aūt & contentio inter
eos quis eorum uideretur esse maior.
Qui dixit eis. Reges gentium dominantur
eorum & qui potestatem habent super
eos benefici uocantur. Uos aūt non sic.
sed qui maior est in uobis fiat sicut
minor. & qui precessor est sicut ministrator.
Nam quis maior est qui recumbit an
qui ministrat. nonne qui recumbit.
Ego aūt in medio uestrum sum sicut
qui ministrat. Uos estis qui permansistis
mecum in temptationibus meis. & ego
dispono uobis sicut disposuit mihi pater
meus regnum. ut edatis & bibatis super
mensam meam in regno meo. & sedeatis
super thronos iudicantes duodecim
tribus israhel. Dixit aūt dominus.
Simon simon ecce sathanas expetiuit
uos ut cribraret sicut triticum. Ego
aūt rogaui pro te ut non deficiat fides
tua. & tu aliquando conuersus confirma
fratres tuos. Qui dixit ei. Dne tecum
paratus sum & in carcerem & in mortem
ire. Et ait illi. Dico tibi petre non
cantabit hodie gallus donec ter abneges
nosse me. Et dixit eis. Quando misi
uos sine sacculo & pera & calciamentis
numquid aliquid defuit uobis. At illi
dixerunt. Nihil. Dixit ergo eis. Sed
nunc qui habet sacculum tollat similiter
& peram. & qui non habet uendat tunicam
suam & emat gladium. Dico enī uobis
quoniam adhuc hoc quod scriptum est
oportet impleri in me. Et cum iniquis
deputatus est. Etenim ea quę de me
scripta sunt finem habent. Qui dixerunt.
Dne ecce gladii duo hic. Et ait illis.
Satis est. Et egressus ibat secundum
consuetudinem in montem oliueti.
Secuti sunt aūt illum & discipuli.
Et cum uenisset ad locum dixit illis.
Orate ne intretis in temptationem.
Et ipse auulsus est ab eis quantum
iactus est lapidis & positis genibus
orabat dicens. Pater si uis transfer
calicem istum a me. Uerumtamen non
mea uoluntas sed tua fiat. Apparuit
aūt illi angelus de celo confortans
eum. Et factus in agonia prolixius
orabat. Et factus est sudor eius sicut
guttę sanguinis decurrentis in terram.
Et cum surrexisset ab oratione & uenisset
ad discipulos suos. Et ait illis. Quid
dormitis. surgite orate ne intretis
in temptationem. Adhuc eo loquente
ecce turba & qui uocabatur iudas unus
de duodecim antecedebat eos & appropinquauit
iesu ut oscularetur eum. Iesus aūt
dixit ei. Iuda osculo filium hominis
tradis. Uidentes aūt hi qui circa eum
erant quod futurum erat dixerunt ei.
Dne si percutimus in gladio. Et percussit
unus ex illis seruum principis sacerdotum
& abstulit auriculam eius dexteram.
Respondens aūt iesus ait. Sinite usque
huc. Et cum tetigisset auriculam eius
sanauit eum. Dixit aūt iesus ad principes
sacerdotum & magistratus templi & seniores
qui uenerant ad se. Quasi ad latronem
existis cum gladiis & fustibus. Cum
quotidie uobiscum fuerim in templo
non extendistis manus in me. Sed hec
est hora uestra & potestas tenebrarum.
Comprehendentes aūt eum duxerunt
& introduxerunt in domum principis
sacerdotum. Petrus aūt sequebatur
a longe. Accenso aūt igne in medio
atrii & circumsedentibus illis sedebat
petrus in medio eorum. Quem cum
uidisset ancilla quędam sedentem ad
lumen & eum fuisset intuita dixit.
Et hic cum illo erat. Qui & negauit
eum dicens. Mulier non noui illum.
Et post modicum alius uidit eum &
ait. Et tu ex illis es. Petrus aūt ait.
Homo non sum. Et intermissa quasi
hora una alius quidam affirmabat
dicens. Uere & hic cum illo erat.
Etenim galilęus est. Et ait petrus.
Homo nescio quid dicis. Et continuo
adhuc eo loquente cantauit gallus.
Et conuersus dominus respexit petrum.
Et recordatus est petrus uerbi dni
sicut dixerat ei. Quia priusquam gallus
cantet ter me negabis. Et egressus
foras petrus flebat amare. Et uiri
qui tenebant illum illudebant ei &
uerberabant eum. Et uelabant eum
& percutiebant faciem eius & interrogabant
eum dicentes. Prophetiza quis est
qui te percussit. Et alia multa blasphemantes
dicebant in eum. Et ut factus est dies
conuenerunt seniores plebis principes
sacerdotum & scribe & duxerunt illum
in concilium suum dicentes. Si tu es
christus dic nobis. Et ait illis. Si
uobis dixero non credetis mihi. Si
aūt & interrogauero non respondebitis
mihi neque dimittetis. Modo aūt erit
filius hominis sedens a dextris uirtutis
dei. Dixerunt aūt omnes. Tu ergo es
filius dei. Qui ait. Uos dicitis quia
ego sum. Et ait illis. Quid adhuc desideramus
testimonium. Ipsi enī audiuimus
de ore eius. Et surgens omnis multitudo
eorum adduxerunt illum ad pilatum.
Ceperunt aūt illum accusare dicentes.
Hunc inuenimus subuertentem gentem
nostram & prohibentem tributa dare
cesari & dicentem se christum regem
esse. Pilatus aūt interrogauit eum
dicens. Tu es rex iudeorum. Respondens
aūt ei ait. Tu dicis. Pilatus aūt dixit
ad principes sacerdotum & turbas.
Nihil inuenio causę in homine hoc.
Illi aūt inualescebant dicentes. Quia
commouet populum docens per uniuersam
iudeam incipiens a galilea usque huc.
Pilatus aūt audiens galilea mentionem
fecit si homo galilęus esset. Et ut
cognouit quod de potestate herodis
esset remisit eum herodi qui & ipse
hierosolimis erat illis diebus. Herodes
aūt uidens iesum gauisus est ualde.
erat enī cupiens ex multo tempore
uidere eum eo quod audisset multa
de eo & sperabat signum aliquod
uidere a illo fieri. Inter